fragmentarium

tribat non solum ... sed etiam femo-
ralia tunica sub pontificalibus honoris
vestibus in deo. Item intelligitur nomine ie-
iunii abstinentia a quiete et ocio quam ha-
bent peregrini qui itinerando affligunt
exem corpus suum visitando loca sanctorum. ¶ Exemplum
de quodam valenti homine qui transfretavit
propter votum iherosolimitanum et cum lustras-
set omnia loca in transmarina per que audierat
christum ambulasse et die ascensionis venit
in montem et in locum illum a quo christus coram
apostolis corporaliter ascendit in celum et dixit
Domine ihesu christe secutus sum te quantum potui
et loca per que ambulasti peragravi. Ecce sum
in ultimo loco peregrinationis tue in mundo
a quo tu ascendisti in celum. Illuc non possum
sequi te humana virtute nisi tu trahas me ad
te tua gratuita pietate. Et sic in corde
statim emisit spiritum et a christo receptus est in
celum. ¶ Item intelligitur in ieiunio absti-
nentia ab omni mundano gaudio quam ha-
bent heremite et anachorite et boni reli-
giosi qui includunt se in claustris ut
admodum columbe vel turturis ieiunent
et abstineant a variis huius mundi gau-
diis et etiam quod plus est a voluptate proprii
cordis. abnegando voluntatem proprii cor-
dis abnegando voluntatem propriam et volun-
tati prelatorum subiciendo eam. Sic ieiuna-
verunt in desertis multi patres sancti ut beatus
paulus heremita primus. hylarion. anto-
nius et multi alii. Sic ieiunaverunt
et ieiunant in claustris multi viri perfecti
ut beatus benedictus. maurus. gregorius. ber-
nardus. franciscus. dominicus et sequaces
sui. Potest etiam in hoc ieiunio intelligi
abstinentia ab omni peccato. Et hoc est ieiunium
quod tenetur facere omnis homo omni tempore. sicut le-
gitur in libro iudith vidue quod ipsa ieiu-
nabat omnibus diebus vite sue. Et in euange-
lio beati luce legitur quod anna vidua et octoge-

naria et prophetissa non discedebat de
templo ieiuniis et orationibus vacans die ac
nocte. Omnibus his ieiuniis homo reddit
hereditatem celestem pater celestis. Unde secundum ma-
theum. Nec videaris hominibus ieiunans sed patri
tuo qui videt te in abscondito et pater tuus
qui videt te in abscondito reddet tibi. Sed
quid est quod dicitur. Unge caput tuum etc. Unc-
tio capitis significat spiritualem leticiam in corde ie-
iunantis. Per caput enim intelligitur cor. quia
sicut per sensus qui sunt in capite regitur
homo exterior id est corpus. sic corde regitur
homo interior id est anima sive cogitationes
et affectiones anime. Per unguentum vero signifi-
catur leticia. psalmus. Unxit te deus deus tu-
us oleo leticie. Caput vero ieiunantis
ungere est in corporali abstinentia spiritua-
liter [illegible]. Et hoc est magnum signum
divine gratie. Unde hugo de sancto victore
in libro de instructione noviciorum. magnum
inquit signum inhabitantis gratie est
spiritualis spiritualis leticia. Solet enim sub
aqua latere turbida. coluber tortuosus.
Faciem vero lavare est ab omni opere suo
pravam intentionem removere. Per faciem
vero quam respiciunt homines ad haben-
dam cognitionem hominis intelligitur intentio
cordis. quam respicit deus ad approbatio-
nem vel reprobationem operis. Approbat enim
opera facta cum bona intentione et reprobat
ea que fiunt cum mala intentione. Et si-
cut delectatur homo videndo pulchram fa-
ciem et sine macula sic deus delectatur
in operibus nostris que fiunt cum intentione
bona. id est pro sola dei gloria non pro
laude humana vel mercede terrena. Di-
cit ergo. Cum ieiunatis nolite fieri. In
qua auctoritate patet quod penitentia est
est omnis corporalis afflictio que intelligitur
nomine ieiunii. Sed fieri cum leticia spiritua-
li et intentione bona. id est ut homo

License: public_domain – Antwerpen, Erfgoedbibliotheek Hendrik Conscience, B 28712:4, fol. 9r – Remigius Florentinus, <i>Tractatus de misericordia</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-g107/9386/69214)